


M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE INCERTO EUROPAE ORTU

Sunt fortasse qui mirentur Pactum Traiecti ad Mosam a magna, quin etiam a maiore singulorum populorum parte relici. Nos non! Iam diu populares nostri Europaei multa verba de Europa condenda bono animo audiverunt; sed cum vix quicquam intellegerent de rebus oeconomicis technicisque quae Bruxellis in consilio Europaeo tractantur, putabant hoc: «Id quod me non tangit, non angit». Sed subito propter Pactum Traiecti ad Mosam comperiunt se invitos «cives Europaeos» factum iri, qui revera nesciant qualis sit «civis Europaeus»!

Iohannes Monnet, qui habetur ut inventor propositi Europaei, iam ante quindecim annos dicebat: «Si iterum in eo essem ut inceptum Europaeum susciperem, imprimis curarem res culturales.» Ille Pater Europae, qui vocatur, iam praevidebat eo maiores



'SAGACIUS ISTA'
Insigne Academiae
"Lynceorum"
cfr p. 3.

evasuras esse difficultates quo propior fieret unitas politica Europaea.

Principium unitatis Europaeae ortum est post cladem alteri belli mundani, quo impeditur ne iterum concitari posset bellum civile Europaeum. Quo tempore nationes nondum deposuerant similitudines. Cauter erat incohandum. Prima foedera tantum spectabant ad magnam industriam carbonis et chalybis. Pactum Romanum iam artius coniunxit sex res publicas, quae factae sunt Mercatus Communis nucleus. Ibi respectu participum singulae linguae nationales habebantur aequales atque agnoscebantur ut officiales.

Iuvantibus rebus prosperis, dum augetur numerus Mercatus Communis participum, rei nummariae magnates intellexerunt quanti emolumenti esset negotiari sine impedimentis, eisdem regulis quin etiam

eadem moneta in amplissimo agro Europaeo. Quibus impellentibus paratus est «dilatatus mercatus Europaeus», qui ab anno 1993 in effectum erit.

Sic maior in dies facta est discordia inter Europam oeconomicam et Europam politicam. Memoratu dignum est inventorem rei publicae Europaeae aedificandae Iohannem Monnet non fuisse hominem politicum atque postea fieri semper noluisse.

Sed cum nihil mutari posset in statu rerum publicarum sine politicis, maximum inventoris meritum fuit eorum nonnullis suadere ut Europaeae aedificationi operam darent: opus difficile et semper iterandum propterea quod politicis plus prodest singulis nationibus blandiri, quam eas in maiorem rem publicam confundere.

Europam aedificare est ingens opus, quod non sine arduis laboribus effici potest; tot sunt mutanda et plura certe in mentibus quam in rebus. Caret hodierna iuventus, ut aiunt, scopo attractivo, ad quem adipiscendum vires suas contendere possit. Aedificatio Europaea re vera est scopus magnificus, qui optimos inter iuniores certe alliceret, si quidem eis proponeretur. Infeliciter educatio hodierna solum tendit ad «utilia», id est minimo conatu sibi quemque quaestum instituere. Vitium in eo est quod politici pendent a suffragiis multitudinis; quae multitudo immutata est ab antiquitate: tunc temporis «panem et circenses» poscebat, nunc sine cura ali atque modis hodiernis delectari cupit.

Cura relinquitur politicis: efficiant illi ut electores sine molestia vivant et gaudeant «hic et nunc». Promittunt ergo politici, mentiuntur, rem publicam in discrimen adducunt ut sibi concilient hos «Hicetnuncios» e quibus constat maior pars populi.

Imprimis sermo patrius, etiam dialectus, valde cordi est «Hicetnunciis»; facilius enim est solita orbita. Quare politici sermonem patrium linguam nationalem vocaverunt, quae fieret praecipuum rei publicae columen. Vae miseris qui sermone nationali non utuntur. In Francogallia ante duobus saeculis lingua Francogallica intra rei publicae fines omnibus imposita est atque ceterae linguae vel dialecti duro diutinoque annisu sunt exstirpatae. Nostris temporibus etiam ubicumque quidam sermo patrius nondum factus est nationalis, sunt politici qui eum extollant ut fiat columen novae rei publicae. Dicunt se hoc facere propter dignitatem humanam servandam, sed re vera tantum cupiunt sibi territorium politicum reservare; nullo enim modo respiciunt dignitatem eorum numero minorum, quorum sermo idem non est. Sic oriuntur «problemata minoritatum», quibus imponitur «ius soli».

«Hicetnunciis» non libenter patiuntur se ab excultioribus civibus despici. Quare eis etiam praeferunt locupletiores, quia pecunia est res

homini externa, quae eripi vel amitti potest vel a quovis acquiri; cultura contra interna et inseparabilis est, neque fortuito acquiri potest. Quae cum ita sint, politici, quorum plures in dies sunt «Hicetnunciis», decreverunt «elitismum» esse vitium societatis humanae atque institutionem scholarem mutandam esse ne «elitismum culturalem» gignat. Addidi «culturalem» quia re vera ubique et semper exstat superior ordo hominum sive a populo sive a fortuna electorum, qui hodie vulgo appellantur V.I.P. (Very Important Person, i.e. maioris momenti personae).

Ex his condicionibus politicis fit ut educatio iuniorum post secundum bellum mundanum manserit nationalistica atque ut institutio amittat hanc partem humanisticam, quae sola omnibus nationibus Europaeis erat communis. Non miramur ergo quod gentes Europaeae non alliciuntur propositis Pacti Traiecti ad Mosam, quamvis sint modica.

Dilatatus mercatus Europaeus certe instituetur quia rei nummariae magnates hoc volunt. Nam politici diversas habent manus: unam electorum suffragia captant, sed alteram negotiatoribus ad stipem porrigunt.

Quod pertinet ad unitatem politicam Europaeam, non dubium est quin perfici vix possit sine longa mentium praeparatione. Historia docenda est pro tota Europa, non pro singulis nationibus. Historia cogitationum inventorumque potius docenda est quam bellorum internorum. Plus prodest scire quo in contextu historico novae res inventae sint quam gloriari de natione inventorum. Litterae Graecae Latinaeque sunt colendae, quia sunt fontes communes cultus civilis omnium Europaeorum. Amissis autem fontibus non mirandum est quod inter alia legimus haec: «(gentes Europaeae) nihil habent commune nisi hoc quod in certa planetae plaga sitae sunt.» (Philippus Bouvard in «Figaro Magazine», 11 Iul. 1992).

Fortasse aliquis dicat: «Tu contra nationalismos dicis, sed videris esse strenuus nationalistae Europaeus!» Re vera sum! Imprimis, sicut Europaei primi fautores, ne iterum Europaei bella intestina gerant, postea, sicut rei nummariae magnates, ne Europaeorum opes impares sint eorum ingenio, denique et praesertim ut servetur, colatur et exteris proponatur thesaurus Europaeum pretiosissimum, cultura nostra Graeco-Romana cuius delitates sunt Intelligentia et Pulchritudo, quibus Christianismus Caritatem generis humani addidit.

Haec hereditas ceteris est pretiosior; digna est ut pro ea Europaei congregentur atque sola valet ad eos congregandos. ■

P.S.: nonnulla fortasse protuli quae hodie moleste feruntur. Hac in re etiam iuvat lingua Latina...

Gaius LICOPPE



DE ACADEMIA LYNCEORUM

SCRIPSERUNT GAIUS LICOPPE ET FRANCISCA DERAEDT

Galileus Galileus... Nemo est qui eius nomen non noverit neque sciat Sanctum Officium Romanum eum condemnasse propterea quod autumabat terram ferri circum solem. Tanta est eius fama ut historici loquantur de «mentium mutatione Galilea» sive de «Galilea revolutione (sensu moderno)». Maior tamen videtur esse eius fama quam vera merita; Galileus enim neque tubum opticum qui vocatur «Galileus» ipse invenit neque eius modum operandi umquam intellexit; praeterea non ipse primus cogitavit terram ferri circum solem!

Haec in animo volvebamus cum Parisiis lustraremus expositionem monumentorum «Academiae Lynceorum», quae per paucos dies (13 Dec. 1991 - 8 Ian. 1992) in aedibus Foundationis DOSNE-THIERS facta est. Nam Galileus Galileus fuit unus ex sodalibus huius academiae, quae ab historicis habetur ut prima totius Europae academia «scientifica», sensu hodierno.

Plura invenire cupiebamus de hac academia, sed infeliciter in ipsa expositione praebatur fasciculus Francogallice scriptus, ubi res tantum summam tractabantur; etiam venalis prostabat catalogus rerum expositarum, sed solum cum textu Italiano. Iterum turrim Babylonicam Europaeam exsecrati sumus! Quibus tamen documentis imprimis usi, latius inquisivimus et id quod invenimus scitu satis dignum nobis visum est, ita ut rem narraremus Latino sermone, eodemque quo usi erant ipsi sodales huius academiae.

Inventorum historia docet duas condiciones necessarias esse ad ortum cuiusdam

inventi: imprimis necessaria sunt idonea circumstantia, quae ipsa oriuntur ex evolutione ambienti idearum technicarumque. Altera condicio est fortuita et pendet ab ingenio cuiusdam hominis, qui in contextu primae condicionis primus aliquid novi percipit vel invenit.

Hae duae condiciones bene illustrantur historiam Galilei. Praeterea historia Academiae Lynceorum est exemplaris, quia mirum in modum fovit mutationem mentis magicae in mentem

«Mensibus abhinc decem fere rumor ad aures nostras increpuit, fuisse a quodam Belga perspicillum elaboratum, cuius beneficio obiecta visibilia, licet ab oculo inspicientis longe dissita, veluti propinqua distincte cernebantur; ac huius profecto admirabilis effectus nonnullae experientiae circumferebantur, quibus fidem alii praebebant, negabant alii.

«Idem paucos post dies mihi per litteras a nobili Gallo Iacobo Badovere ex Lutetia confirmatum est, quod tandem in causa fuit, ut ad rationes inquirendas, necnon media excogitanda, per quae ad consimilis organi inventionem devenirem, me totum converterem; quam paulo post doctrinae de refractionibus innixus assecutus sum; ac tubum primo plumbeum mihi paravi, in cuius extremitatibus vitrea duo perspicilla, ambo ex altera parte plana, ex altera vero unum sphaerice convexum, alterum vero cavum aptavi; oculum deinde ad cavum admovens obiecta satis magna et propinqua intuitus sum; triplo enim viciniora, nonuplo vero maiora apparebant, quam dum sola naturali acie spectarentur.

«Alium postmodum exactiorem mihi elaboravi, qui obiecta plus quam sexagesies maiora repraesentabat. Tandem labori nullo nullisque sumptibus parcens, eo a me deventum est, ut organum mihi construxerim adeo excellens, ut res per ipsum visae millies fere maiores appareant, ac plusquam in terdecupla ratione viciniores, quam si naturali tantum facultate spectentur.

«Huius instrumenti quot quantaque sint commoda tam in re terrestri, quam in maritima, omnino supervacaneum foret enumerare. Sed missis terrenis, ad caelestium speculationes me contuli; ac Lunam prius tam ex propinquo sum intuitus, ac si vix per duas Telluris diametros abesset. Post hanc stellas tum fixas, tum vagas incredibili animi iucunditate saepius observavi; cumque harum maximam frequentiam viderem, de ratione qua illarum interstitia dimetiri possem excogitare coepi, ac demum reperi.»

GALILEI GALILEI *Sidereus Nuncius*, Venetiis apud Thomam Baglionum, 1610, pp. 6-7.

experimentalem sive «scientificam» ut nunc dicitur.

*
* *

Caesiorum gens, ex Umbria oriunda, Romam migravit post medium XV saeculum. Inter Caesios sunt iurisconsulti, docti, artium amatores; coniuncti sunt cum compluribus aliis nobilibus gentibus; multi eorum Romae mox muneribus senatoris funguntur vel etiam purpura cardinali induuntur. Possident latifundia in Umbria, in Latio Sabinaeque. Habent palatia villasque Romae, Tibure, Narniae (v. Narni), apud Tudertos (v. Todi). Huius gentis illustrior familia acquisivit marchionatum Montis Caelii (1572), ducatum de Acquasparta (1588), principatum Sancti Angeli et Sancti Pauli (1613).

Ex hac familia, die 25 m. Feb. anni 1585, Fridericus Caesius (v. Cesi) futurus Lynceorum Academiae conditor, natus est Romae in palatio Viae "della Maschera d'Oro" (cfr *Genealogia Caesiorum* (1628), auctore Luca Alberto Petti).



Fridericus Caesius

Adulescens in cognoscenda rerum natura iam erat curiosus. Consuetudo, quam iunxit cum Iohanne Heckio (v. Ioannes van Heeck), ad nostram rem singulariter pertinet.


*
* *

Iohannes Heckius natus est anno 1579 Daventriae (v. Deventer) in Nederlandia. Dum studet, oppidum suum relinquere coactus est, cum protestantes in catholicos papistas ibi saevirent. Se contulit in Italiam ubi studere perrexit.

Imprimis mansit Spoleti, ubi hospes fuit comitis

Benedicti Gelosi. Cui anno 1600 dedicavit manuscriptum autographum c.t. *De Zodiaci divisione*. Ibi inter alia tractat de apoplexia et de syncopa atque astrologiam adhibet ad medicam diagnosin constituendam.

Aliud manuscriptum autographum imaginibus depictis illustratum servatur Romae in Bibliotheca Vallicelliana, c.t. *Animalia fabulosa ex variis scriptoribus et figuris expressa*, quod Heckius putatur conscripsisse inter studia universitaria.



IOHANNIS HECKII *Animalia fabulosa ex variis scriptoribus et figuris expressa*

Quae studia ad effectum adduxit in studiorum universitate Perusina (v. Perugia), ubi anno 1601 factus est doctor medicinae. Ab eo tempore iam videtur discessisse a medicis pharmacopolisque, quos incusat magiae et deliramentorum (!); nam in archivo Lynceorum servatur scriptum c.t. *Adversus Romanorum medicorum deliramenta* quod anno 1603 divulgavit.

Quamobrem non nimis miramur quod eodem anno gravissimam rixam Romae habuit cum quodam pharmacopola nomine Rainerio Casolini di Scandriglia. Inter rixam pharmacopola infeliciter necatus est et Heckius in carcerem coniectus est, quamquam fortasse res accidit cum se legitime defenderet (cfr *Romana Vulnerum pro Curia et Fisco contra Ioannem Ecchium Flandrum...*, Roma. Arch. di Stato, Tribunale Criminale del Governatore di Roma).

Non satis constat cur in his amaris



condicionibus advocaverit familiam Caesiorum, quae re vera pro eo satisdedit et liberatum eum in palatium viae "della Maschera d'Oro" hospitem recepit. Fortasse iam antea convenerat iuvenem Fridericum Caesium, quocum statim coniunctus est extraordinaria amicitia.

Heckius, sex annis maior natus, erat ampla cultura humanistica et theologica, sciebat linguam Arabicam, Graecam Hebraicamque, colebat disciplinam alchimicam et hermeticam atque strenuus observator erat phaenomenorum astronomicorum physicorumque. Inter eorum disputationes mox nascitur consilium academiae condendae atque sine mora, id est die 17 m. Aug. anno 1603, Fridericus Caesius, marchio Montis Caelii, tres amicos in palatium suum convocat, Iohannem Eckium, Franciscum Stelluti comitemque Anastasium De Fillis di Terni, quibuscum academiam condit, quae sit societas amicorum apta ad indagaciones in libris et in rebus naturalibus factas colligendas comparandasque.

Exeunte anno 1603, die festo Nativitatis Domini, sollemniter inauguratur Lynceorum Academia, cuius Fridericus Caesius fit princeps. Insigne, quod sibi eligerunt, in prima pagina iam vidistis; additur haec sententia: «sagacius ista (i.e. lynce, in signo delineata, quae dicebatur oculos acutiores habere quam cetera animalia)»¹.

Sodales Academiae se ipsos appellant Lynceos;



Sigillum Friderici Caesii.


Adiectivum "Lyncēus" (Λύκειος) iam exstabat antiquitus et tunc spectabat ad Lynceum, unum ex Argonautis, vel designabat hominem oculis acutissimis praeditum.

colunt mysterium, opera sua vocant «nostra arcana», arcent «ignaros nebulones», alphabeto utuntur secreto, quod ex signis astrologicis finxerunt. Maxime delectantur magia, hermetismo, alchimia; sed Caesii familiares, inter quos eius pater, rem spectant "perspicillo rubro"... ■

(sequetur)

Ab anno 1605 Caesius praeparat statuta Academiae, i.e. 'Lynceographum': 250 paginis leges exponuntur, quae academicis respiciendae sunt. Agitur de vero vivendi modo, de tali regula qualem habent ordines religiosi. Sodales ducuntur consiliis neoplatonicis, neostoicis; scientificam indagacionem habent asceticam. Tempus eorum ordinatur quasi viverent in quodam monasterio; saeculum eis est despiciendum, carnis voluptates contemnendae; ceterum nullius religiosi ordinis licet esse.

- (1) Liceat nobis, cum hic agatur de insigni cuiusdam associationis, hanc iucundam sententiam subiungere, quam amicus noster Henricus Thonar modo legit in severis actis diurnis, quibus titulus est "Le Quotidien de Paris" (07/09/92): cum de Europa ibi tractaret Dionysius Durand de Bousstgen, Tribunalis Europaei pulchrum insigne memorare voluit ("Sol Iustitiae illustra nos"), quod in Francogallicum ita vertit: "Seule la justice nous illustre" (i.e. "solā iustitiā praeclarā finus"). Sine verecundia! Diurnarum suademus ut aliquantulum poltant scientiam suam Latinam, antequam de magnis rebus loquantur.



"EGO ALOYSIUS CADAMUSTUS..."

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

Quintum decimum saeculum est saeculum valde itinerarium. Christophorus Columbus, hoc anno celebratus, non est solus qui maria terrasque emetiatur: non pauci alii novas experiuntur regiones. Americi Vesputii relationem iam legimus (cfr Melissa 48, 49). Minus autem notus est Aloysius Cadamustus (da Cada-Mosto, Venetiis 1432-1480), qui vela dedit ad Africam Indiamque lustrandam.

Anno 1454, neque Columbus neque Vesputius Americam adhuc invenerunt. Cadamustus, viginti duos annos natus, iam est nauta consummatus. Quid agat, quo se vertat, non plane scit. Tot itinera iam fecit! Maris Mediterranei nullum est litus, quod non lustraverit. Quare, cum audiat Portugallenses classem instruere, quae regiones longinquas exploret, hanc oblatam occasionem libenter arripit.



UOMODO DUX CLASSIS PROPECTUS EST AD REGEM CALECHUT. - Itaque die tredecimo Septembris eiusdem anni pervenimus ad urbem Calechut, cuius incolae ubi nostri adventus certiores facti sunt, effuse nobis occurrerunt, vecti cymbis extra urbem ad primam leucam. Inter eos qui nobis occurrerunt, erat quidam mercator de Gusurate locupletissimus, ac nonnulli urbis primores, qui nostram adeuntes classem, praetoriam navim ingressi sunt, his verbis ducem consalutantes: Regi placere plurimum quod incolumes adventaverint, quodque nihil illi gratius obvenire posset, quam quod utantur regis opibus et auxilio. Post haec visa regis erga nos benevolentia, ancoras iecimus ante urbis moenia, tormentaue exonerari iussimus; quae res adeo perterruit urbis incolas, ut dicerent contra nostros nullas esse vires praeter deorum.

Cum itaque advesperavisset, dedimus membra quieti; cum vero illuxisset, praefectus statuit mittere ad regem interpretes, quos secum adduxerat ex Ulisbona. Ex his unus erat Maurus Christianus, reliqui Indi, qui omnes probe noverant idioma Lusitanorum, verum erant adhuc gentiles, id est idololatrae, piscatoresque.

Hos itaque eleganter indutos ad regem mittit, qui ubi consalutaverint eum, securitatem adeundi regis impetrent: salvum conductum appellant.

Quorum itinerum relatio, ab anno 1463 conscripta, saepe edita est. Notissima editio Vicetiae anno 1507 est facta, sub titulo: 'La prima navigazione per l'Oceano alle terre de' negri della Bassa Etiopia, di Luigi Cada-Mosto'. Duae sunt versiones, Latina et Francogallica. Latinam in publicum proposuit Grynaeus in libro, de quo iam a fasciculo 46 agimus¹; inest paragramma (legitur enim exploratorem anno 1504 profectum esse) propter quod diu quaesivi num alter Aloysius Cadamustus exstaret.

Auctor accurate refert ea, quae in itinere vidit et fecit; etiam distantiae recte indicantur, ita ut peregrinationem facile sequamur in mappa geographica.

Adeamus ergo Indiam urbemque Calechut, ubi commercium cum incolis non ita facile coniungitur...

Adiit itaque regem Maurus, composque voti factus mittit salvum conductum ad praefectum; ceteri autem Indi regem non videre, ob id quod essent viri nati obscuro loco; nam rex huiusmodi id pro fastu observat, ne adeant ipsum ignobiles, prout latius referemus in sequentibus.

Salvi conductus tenoris erat, ut liceret impune cuiquam in terram descendere. Hoc accepto praefectus classis Alphonsum Furtadum mittit ad regem, interprete comite, qui Arabicam linguam optime callebat; quibus dat in mandatis, ut ad regem haec proferant, classem esse regis Portugalliae et eo solum advenisse, ut cum eo commercia exerceant, ineantque foedus et amicitiam non vulgarem. Regem propterea alloqui coram: id fieri non posse ex sui principis praescripto, nisi prius datis eis obsidibus quos ipse nominavisset; et hi erant urbis primores.

His expositis, rex condicionem renuebat, excusans valetudinem adversam et defessam aetatem obsidum quos vocaverat, adiciens ad haec se alios daturum, qui maris saevitiam tolerantius perpeti possent; admirabaturque plurimum de proposita condicione.

Et in his disceptationibus biduo vel triduo haesitavit, tandem decrevit condicionem haud aspernari, cuius rei certior factus dux classis se praeparabat expeditioni instituebatque commorari cum rege, et ternos aut quaternos dies inibi consumere, secumque adducebat viginti aut triginta



viros honoratiores classis, eosdem eximie cultos et adornatos. Habebat etiam secum aulicos et alios complures, qui illi more regio inservirent, vasaque caelata compluscula tulit, ut honoratior fieret his rebus quae suapte natura magnificentiam prae se ferunt, proviso prius de praefecto classis, cui iussit ut obsides perquam honorificentissime exciperet haberetque in deliciis, donec ipse rediret.

Postero die rex venit ad litus ubi erat quaedam domus mari fere adiacens, ut commodius praefectum classis exciperet. Itaque misit quinque viros ex primoribus urbis, qui tantisper illic commorarentur, donec praefectus classis rediret.

Ivere igitur ad classem seniores urbis, longum servorum ordinem secum trahentes, necnon tibicines et choraules, satellitesque complusculos, enses et clypeos ferentes. His visis dux classis vectus cymba navi egreditur sua et ad litus contendit.

Ubi vero optimates obsides appropinquavere classi, prius naves ingredi volebant, quam in terram descendisset praefectus; qui licet nondum appulisset portum, eo tamen contendebat pleno gradu suamque suppellectilem praemisera, ut mos est principibus.

Diu igitur disceptatum est de hac re, obsidibus renuentibus navem ingredi, ni terram dux primo teneret. Dum sic contenditur, Araschorea it ad eos hortaturque ut perfidiae suspicionem omnem exuant, eo venisse non ut imponant eis, sed ut eorum amicitiam promereantur. Tandem his adducti verbis, navim ingressi sunt intrepide. At praefecto iam terrae appulso it obviam nobilium decentissima cohors, ipsumque honorificentissime excipiunt et humeris imponunt suis, nec terram contingere patiuntur, donec ad principis regiam perventum est.



E HABITATIONE ET ORNATU REGIS CALECHUT. - Igitur rex Calechut aedes eminentissimas habitat, habens pro thoro regio locum concameratum, instar sacelli cuiusdam; pelvis figuram referebat, ut nos quandoque ima-

gines sanctorum collocamus, suppositis viginti pulvillis sericeis necnon instratis aulaeis. Thronum panno sericeo inumbraverat, qui purpuram praesentabat.

Ipse vero nudus conspiciebatur totus; circumduxerat bombicinum pannum candidissimum eundemque subtilissimum, quem auro exornaverant; in capite gerebat birretum aurei panni, qui cassidem ferream referebat; perforatas habebat aures, inque eis adamantes et sapphyri uniones duo, quorum alter obrotundae figurae erat, alter vero instar pyramidis, nucis avellanae magnitudinem excedebat. In brachiis vero armillas aureas, a cubito usque ad manum, distinctas

lapidibus pretiosis innumeris eisdemque incredibilis valoris. Crura vero pariter exornabantur et in digito pedis vernabat lapis pretiosus splendore incomparabili. Condalia etiam in digitis manuum, hoc est annulos omnifariam: habebat smaragdos, adamantes et id genus alios complures. Inter hos lapides quidam fabam magnitudine superabat. Balteumque habebat aureum, gemmis innumeris distinctum, adeo ut aestimationem omnem excederet.

A latere vero regiam sedem argenteam, quae bases et bracteas aureas habebat, easdem gemmis multilugis variatas.

In sua regia conspeximus currum quendam, id est genus vehiculi, nos carpentum dicimus, miro lapidum et gemmarum apparatu condecoratum; eo vectus fuerat ex solita regia in has maritimas aedes. Id genus vehiculi trahunt viri duo. Hunc exornabant quindecim vel viginti buccinae argenteae, quarum tres erant ex puro auro ac ponderis non mediocris, adeo ut eorum quamlibet vir unus ferre nequiret; oras vero eorum ditabant lapides pretiosi, easque mira varietate distinguentes. His adiungebantur vasa quattuor argentea trullaque aurea et ex aurichalco magna candelabra, in quibus tortus filus oleo immersus conflagrabat; quae res erat supervacanea, verum arrogantiam prae se ferebat et celsitudinem principatus.

Huic genitor eius astabat, necnon germani duo, longe a throno passibus quinque vel sex stantes, omnis splendoris apparatu condecorati. Post eos paulo longius stabant innumeri optimates ac principes regulique, divitibus et ipsi quam maxime onusti.

Itaque praefectus classis haec videns, ad regem ibat manum eius exosculaturus; verum annuere astantes, ut a congressu temperans propius non accederet regi: quandoquidem is est mos illorum, ut regem contingat nemo.

Continuit se igitur praefectus noster; cui mox sedes allata est, ut sedendo regem alloqueretur, quod non mediocris honoris est specimen. Coepit igitur alloqui regem praefectus, promens quae iusserat Portugalliae rex; et illico litteras protulit, quae lectae fuere regi; nam caractere Arabico exaratae erant. His peractis praefectus ad classem nuntios misit qui munera regi ferrent, quae in sequentibus explicabuntur... ■

(Sed dona, quamvis splendida, nondum omnino sufficient, ut in proximo fasciculo videbimus...)

(1) *Simonis GRYNÆI Novus orbis regionum ac insularum veteribus incognitarum, Basileae apud Io. Hervagium, 1555, p. 1 sqq.: "Aloysti Cadamusti navigatio ad terras ignotas, Archangelo Madrignano interprete".*

FRANCISCUS BERNARDINUS BOVIUS

POETA FERRARIENSIS (SAEC. XVI)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

1. IN LAURENTIUM VALLENSSEM EPIGRAMMA (f. 94^r)

Grammaticos cunctos superans Laurentius ille est
Vallensis nostri temporis atque decus.
Egregie linguam callens utramque fugavit
barbariem vindex strenuus hic Latio.
Noctes atque dies studeant huic ergo iuventus,^{a)}
hunc recolant memori denique mente senem.

2. EPITAPHIUM FILIOLI (f. 134^{r-v})

Ubaldu cubat hic, die sub uno
infans mortuus, immo matris alvo
nondum redditus, attamen beatus
obstetricae sacra renatus unda. /
Nam parvus Boviae domus futurus
splendor, naufragium nisi (quod aiunt)
in portu faceret, salo magisve
elapsus patria foret potitus.

3. EPITAPHIUM PATRUI (f. 135^r)

Hic Michael Bovius mercum mercator humatur,
vir bonus et dives qui perit atque senex.

4. EPICIDIUM STURNI (f. 48^{r-v})

Sturnus avis solita humanas expromere voces
interiit. Volucres, iusta parate, pia.
Quippe decus fuerat vestrum. Cantare solebat
atque loqui docto guttore mille modis.
Namque salutabat te, Virgo puerpera, vivens 5
et benedicebat numina trina Dei.
Ad rem divinam dominae suadebat ut aedem,
Augustine, tuam viseret illa frequens.

Me quoque Franciscum tradentem grammata prima
audirem ut pueros saepe monebat avis. / 10
His igitur bene pro gestis, pro laudibus istis
quis dubitet memores praemia ferre deos?
Vult homines, iumenta Deus quoque reddere salva,
si Domino vivunt cuncta creata Deo.
Ergo alacres agitare queunt, maerore relicto, 15
gaudia, defuncto qui dolere prius.

5. AD DOROTHEAM (f. 201^r)

+ Dorothea + mecum loqueris dum grandia et ipso
digna viro, furtim me tua forma capit:
Palladis ac pariter Veneris me incendis amore;
sic duplici nodo me retinere potes.
Afflictum oblectas animum relevasque monendo 5
atque potes superis associare choris.
Devincis totum sapiens me moribus istis
corque meum, cedunt et mea cuncta tibi.
Ante graves ergo scandent sublimia terrae
atque polus labens inferiora petet, 10
quam tuus e nostro labatur pectore vultus,
quam Bernardini pectore Dorothea.

6. AD EANDEM (Dorotheam) (f. 211^{r-v})

Mirari noli si me meretricis amori
audis coniugium posthabuisse meum.
coniugis assidua haud dicam congressio quantum
imbelles animos hauserit ipsa meos.
Libertas amissa fuit mihi coniuge ducta; 5
non potuit meretrix sic nocuisse mihi.
Qui bonus est, vitium vitat virtutis amore;
idem liber erit quilibet ergo bonus.
Liber erit nullus nisi qui despexerit omne,
se indignum expertus dteriusque bonum. 10
At dices: "Vitiosus amor magis iste gravabit;
omnis enim servus dicitur esse malus". /
Hoc ego per vinculum nequeo fecisse iugale,
suspicio uxorem stultus at ipse meam.
Si meretricis amor me vinctum forte teneret, 15

a) v.5 studeant: sic metri causa!



fas erat hoc vitio me explicuisse mihi^{b)}.
 Nunc ego bis servus, quod me sibi subdidit uxor,
 quod mala, quom videam, solvere vincla nefas^{c)}.
 At dices: "Servat conlux tibi remque domumque";
 hei mihi, quod salva re perit ipse animus! 20
 Forte meretrici si tradita cuncta perissent,
 essem consumptis omnibus ipse super:
 libertate, malis amissis, laetus haberem
 ipsum me ac vere vita mihi flueret.

7. AD GLORIOSAM VIRGINEM (f. 216^v)

Virgo, quae mater coleris Tonantis,
 mitis et semper miseris benigna,
 obsecro menti male concitatae
 mitte iuvamen.

8. FRANCISCI BOVII EPITAPHIUM PER SE IPSUM (f. 216^v)

Francisci hoc tumulo Bovii stat corpus humatum,
 qui fuerat misero testis in orbe probus
 quam fragilis virtus homini sine Numinis aura
 constet — at o vivat iam meliore modo.

*
 * *

De Bovio pauca; plura, si innotuissent. At vitam, labores, fata reticere aequales, posterum item nihilo loquaciores, adeo ut eum Ughius¹, praeclarorum praeco Ferrariensium, saeculo annumerarit XV. Constat tamen post annum insequentis saeculi liminarem non exiguam vixisse vitae partem. Incertus natalicius annus, haud secus extremus. Ballistrerius², qui eius nomen, quo perennaret, Bibliothecae Italicorum illustrium inseruit, anno 1543 cessisse naturae scripsit. Repugno. Percurrenti enim mihi eius librum carminum notula venit obviam, brevis ea memoria Hieronymi Faletti³ doctoratus insignibus ornati; unde liquet Bovio mortem pepercisse saltem ad annum 1546 mediantem, paulo post eo abducto,

quo iuxta naturae leges cuncti. Nam nullam eius mentionem movit Lilius Gregorius Gyraldus, qui anno 1548 (ni omnia fallunt) de poetis Ferrariensibusisque vivis dialogos nexuit post inde editos. Cetera quae ad Bovium pertineant ex ipsis carminibus petenda quae paucis plurima. Grammaticum pueros docuisse edocent versus carminis IV supra allati; uxoratum alii, ita tamen ut meretricis alicuius nassa irretiretur; pullulasse nescio quot pullos mox tamen orbem plurimum, qui ante tempus obiere; a tenero valetudine vexatum et deformitate.

Carminum quasi inexploratorum unus superest codex Ferrariae nunc asservatus (cod. I, 69), qui constat plagulis plus CCCC, continet (ne cuncta) eclogas, elegias, epitaphia et gentis Boviae et alia (ut puta Ariosteum)⁴, satiram de falsa religione (ff. 42r - 45r; cfr. ff. 41r - 42r, III Non. April. A. 1531), epigrammata (ut De capta Urbe A. 1527, f. 56r-v), Homeri locos Latine versos (ff. 307 sqq.). Teste Baruffaldio⁵ a poeticae Sirene Graeca magis alliciebatur Bovius, qua et praestabat; Graeca vero cuncta videntur perisse. ■

- (1) L. Ughi, Dizionario storico degli uomini illustri ferraresi (Ferrariae, 1804 = Bononiae, 1969), p. 87.
- (2) G. Ballistreri, «Bovio, Francesco Bernardino», Dizionario biografico degli italiani, 13 (Romae, 1971), p. 550.
- (3) F. 259v. Cfr. Th. Sacré, «Le poète néo-latin Girolamo Faletti», Humanistica Lovaniensia, 41 (1992), sub prelo.
- (4) M. Catalano, Vita di L. Ariosto ricostruita su nuovi documenti, I (Biblioteca dell' «Archivum Romanicum», I 15 (Genavae, 1930), pp. 91 et 634. Bovium et attigit F. Borsetti, Historia almi Ferrariae gymnasii, II (Ferrariae, 1735 = Bononiae, 1970), p. 332.
- (5) H. Baruffaldi Ferrariensis... dissertatio de poetis Ferrariensibus (Ferrariae, 1698), p. 36.

b) v.16 me explicuisse mihi: marginē correct.:
 dissiluisse mihi ante corr.

c) v.17-18 inter vv. 15 et 18 postea insert.

DE MORTE ET SEPULTURA

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Homines omnibus temporibus ac ubique terrarum de vita post mortem cogitare solebant; numerosas res lapideae vitreae metallinae ab archaeologis praecipue in coemeteriis antiquitatis effossae testimonio nobis sunt condicionum vitae generis statusque civilis illorum populorum antiquitatis eorumque rituum.

De ulterioribus variae exstabant opiniones. Opiniones quoad vitam post mortem itemque ars funebris Romanorum nullo modo a Romanis sunt excogitatae, potius originem ducunt a traditione hellenistica.

Sacerdotes et philosophi doctrinas religiosas ex operibus poetarum et e mythologia hauriebant; Hesiodus, Homerus, Herodotus, Vergilius tali modo doctrinas creavisse putabantur, quarum principium substantiale erat hoc: anima defuncti e vinculis corporis liberata ad umbras descendet; lustrata autem ac purificata ad aethera ascendet et immortalitatem beatam participabit. Hunc in modum Ilias ac Odyssea e.g. libri Biblici, ut ita dicam, aestimabantur, libri sancti, adhibiti in infantibus instituendis quia in quorum mythis veritates universales latere putabantur. Insuper Pythagorae ac Chaldaeorum doctrinae magni erant momenti.

Lapididae pictoresque talia repetere solebant in operibus caelatis sarcophagorum, in pictura murali, in donis supremis, in titulis.

Nonnullae exstabant cosmotheoriae a sacerdotibus excogitatae; generatim autem sphaera superior luci adiudicari solebat, Iovi, Iunoni, vitae aeternae, ergo sphaerae deorum caelestium, Elysio, hemisphaerae salutari, insulis sive nemoribus beatorum, fortunatorum.

Hemisphaera inferior zona habebatur mortis, tenebrarum, Cerberi, zona malevola, regnum Plutonis et Proserpinae. Mirum in modum Iupiter et Pluto fratres habebantur aut filii fratrum.

Illis temporibus secundum opiniones plerorumque hominum anima e corporis vinculis seluncta e sepulcro ad Plutonis palatium descendit compluribus clavibus munita; deinde naulo Charonti portatori pro transvectione Acherontis, Cochyti persoluto Minoem Radamantemque fratres, illos iudices animarum, petit, a quibus ad iudices infallibiles mittitur, quorum iudicio piorum animae ad Elysium admittuntur. Mysteriorum asseclae in campis Eleusinis palingenesia sive

regeneratione delectatum iri persuasum habebant, malorum autem animis Eryniebus ducentibus ad loca tenebrarum foedissima Hadis Erebi Tartari erit descendendum.

Nonnulli Romani philosophia Epicureorum imbuti animam immortalem esse non credebant, maior autem pars eorum ulteriora exstare sibi persuadebant.

Tales opiniones ad ulteriora pertinentes decursu temporum commutabantur ac non raro commiscebantur.

*
* *

Quidnam fit, si qui civis Romanus moriturus est sive mortem obiit? Propter contagionem hominis mortui domus polluta, impura aestimatur, opus erit sacrificiis lustrationibusque. Inde a die mortis multa erunt observanda. Abhinc matrimonia contrahere non licebit, ignes focorum domus exstinguuntur, magistratibus togam praetextam gestare non licebit.

Familia circum hominem defunctum congregata uxor sive maritus mortuo ultimum dat osculum sperans se tali modo animam e corpore effugientem excipere posse; itemque homini mortuo oculi premuntur. Curandum est, ut pedes cadaveris in lectulo collocati calceamentisque vestiti ad ianuam sint versi. Anulus digito eximitur. Nomen hominis mortui ter conclamatur, ecce conclamatio quae dicitur. Mirum in modum quaedam ambivalentia in his est consuetudinibus: altera ex parte conclamatione defunctum ad vitam revocari posse sperant; altera ex parte - pedibus defuncti ad ianuam versis - illum hominem numquam ad superstites reversurum esse arbitrantur.

Conclamatione peracta cadaver in solo depositum ab uxore filiabusve aqua calida lavatur; unguentis oblinitur; vestimentis suis induitur; insignibus munerum priorum in vita partorum ornamentisque pretiosis ornatur, e.g. corona civica, lauro, foliis sertis. Coronae flores acerrae iuxta lecticam deponuntur. In vestibulo rami piceae ac cupressus tamquam symbola maeroris suspenduntur. Nummus sub lingua defuncti vel inter dentes positus, illud naulum, Charonti portatori erat persolvendus pro transvectione animae defuncti ad insulas sive nemora

fortunatorum.

Talibus rebus exactis cadaver de solo sublatum lecticae sive lecto funebri pedibus iterum ad ianuam versis imponitur, ecce collocatio cuius temporis spatium tres, quinque, septem erat dierum secundum statum socialem hominis defuncti.

Circum hominem defunctum flores sartaque deponuntur, candelabra collocantur, cerae turaque accenduntur, praeficae conductae nenas proferunt tibicine quodam tibia canente.

Domus cum impura aestimetur, bonis odoribus suffitur.

Nostra aetate funeris domestici occasione nuntii acerbi dimitti solent; in antiquitate nuntiorum acerbiorum loco praecones nuntium mortis civis palam divulgare solebant.

In initio mortui apud Romanos noctu silentio luce facum sepeliebantur, praecipue infantes impuberes ac pauperes; a vespellonibus sandapila efferebantur, quia Romani luce solis vivos aspectu cadaveris - id quod malum omen habebatur - offendi nolebant. Talibus autem decursu temporum mutatis immo vero studebant, ut multi cives pompis funebribus attraherentur. Inde ab illo tempore mortui luce sepeliebantur, immo facibus utebantur in pompis. Fax ergo apud Romanos non solum symbolum est nuptiarum, sed etiam pompae funebri.

Cadavera servorum ac pauperum saepe in puticulos iniciebantur, numquam incinerabantur. Corpora autem hominum nefariorum e.g. siccariorum in campis canibus aut avibus rapacibus obiciebantur.

Infantes, qui nondum dentaverant hominesque fulmine necati sepeliebantur. Apud Plinium Maiorem legitimus infantes saepe sub stilladio fuisse sepultos.

Et quid de pompa funebri?

Ecce photographema anaglypta repraesentans

primo a.Chr.n. saeculo adjudicata Amiterni in Italia centrali effossa: quidam vir Romanus defunctus ad coemeterium effertur.

Octo feretri portatores conspicimus, quorum quattuor minores sunt ficti quia remotiores stant a spectatore. Tali modo sculptor operis caelati problema difficile perspectivae solvere conatus est.

Ante primum portatorem quidam dissignator (=servus) dispositionis pompae funebri responsabilis, quem quattuor praecedunt tibicines; in tabulato superiore duo cornucines et quidam tubicen.


Numerus tibicinum restrictus erat: secundum legem duodecim tabularum (anni a.Chr.n. 450) decem summum tibicines pompae interesse licebat.

Mediis in anaglyptis, in parte superiore, homo mortuus ipse in lecto cubans funebri duarum culcitrarum feretro imposito. Sub capite hominis mortui pulvinum est conspicuum. Bracchio laevo nitens manu sinistra caput sustentat sertis exornatum. Tunica manicarum curtarum indutus manu dextra bacillum tenet dignitatis verisimiliter insigne in vita partum. Infra lectum funebrem pedibus diligenter tornatis exornatum tabula est collocata humilis parva sive sella longa pedum ornatorum. Post lectum funebrem quaedam res apparet lata rectiangulari tamquam tapete quae vera aulaeum effingere dicitur, quod vere atque proprie *supra* hominem mortuum librata erat fingendum tamquam tectum. Hic autem, in antico sarcophagi tamquam tapete verticale conspicitur, ut ornatus pictus esse videatur. Medio in aulaeo lunula multaeque stellae sunt fictae: forsitan agitur de repraesentatione firmamenti.

Ad dextram duae praeficae crinibus solutis, altera manibus sublatis, altera crines evellens.

In sinistris: vidua et filiae crinibus solutis, maerentes principales.

In extremis sinistris operis caelati tria sunt



Opus caelatum 1 a.Chr.n. saeculo adjudicatum. Amiterni effossum. Photographema depromptum e: Heinz Kähler, Rom und seine Welt-Bilder zur Geschichte und Kultur, München, 1958.

tabulata figurarum in quorum angulo supremo tres conspicimus feminas, forsitan agitur de consanguineis quarum tertia in dextris una ex filiabus esse videtur.

In centro duae consanguineae aut servae quarum altera instrumentum palae simile gestans.

In parte inferiore post portatores puer quidam termitem palmae umero portans alteraque manu hamam tenens.

Praeficae ac symphoniaci Etruscorum iam temporibus talibus muneribus fungebantur.

Insuper homines iocosi histrionesque (non conspicui in his anaglyptis) personas cereas ante facies tenentes pompam funebrem antecedeant sive curribus altis vehentes, quorum unus, mortuo simillimus, secundum statum socialem sive dignitatem hominis defuncti vestitus vocem gestusque eius imitari studebat. Alii histriones aut amici imagines dimidiatas e gypso aut terra cocta confectas ducebant.



Romanus effigies lapideas maiorum ducens in pompa funebri. Photographema depromptum e: J.M.C. Toynbee, Death and Burial in the Roman World". James & Hudson, Great Britain, 1982.

Tales imagines sive effigies in armariis ligneis atriorum domuum asservabantur; agebatur quodammodo de pinacotheca privata. Maiores hominis defuncti tali modo pompam praecedebant mortuumque ducebant ad Inferos. Posteros comitari dicebantur et in rebus secundis (e.g. occasione triumpho) et in rebus adversis (e.g. occasione pompae funebri). Hunc in modum viventes persuasum habebant se a maioribus semper custodiri ac protegi.

Ceterum filii capite velato incedebant, filiae pompam funebrem crinibus solutis sequebantur.

In foro pompa consistere solebat histrionesque de curribus descendebant, in sellis curulibus circum rostra considebant personas cereas ante facies tenentes.

Quidam e familia aut consanguineis aut amicus maerentes alloquens laudationem habebat. Si tota urbs erat invitata aut oppidum, contio dicebatur. Contionibus autem magistratibus tantummodo pertinentibus opus erat permissione magistratum, sine qua maerentes tantum alloqui licebat.

Contione aut laudatione facta pompa funebri ad locum sepulturae pergebat extra urbem nisi familiae sepulcretum erat privatum in praedio quodam ante moenia urbis sito.

Homines mortuos intra moenia sepeliri non licebat secundum illam legem duodecim tabularum («Hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito!»), qua de causa intra moenia urbium Romanarum numquam sepulcrum invenies Romanum - familiis imperatoris exceptis. Coemeteria Romana ergo plerumque secundum itinera publica erant instituta, extra moenia, ubi monumenta funeralia ac lapides sepulcrales ponebantur titulis anaglyptisque exornati memoriae mortuorum servandae sive repetendae causa; scopus enim lapidis sepulcralis erigendi erat nominis hominis defuncti in perpetuum celebrandi.

In coemeterio ante sepulturam «iusta erant facienda», i.e. ante incinerationem quoddam cadaveris membrum, e.g. digitus, desecabatur et separatim sepeliebatur. Ante humationem cadaver paululum arena symbolice spargebatur («glebam in os inicere»), defunctos enim rite sepeliri sive incinerari maximi erat momenti: tali modo familia omnibus debitis exonerabatur. Ille mos originem ducebat ex illis temporibus, cum periodus sepeliendi ad finem vergeret. Ex hac re elucet humandi consuetudinem incineratione vetustiore fuisse morem. ■

(sequetur)

DE INTERITU LAOCOONTIS

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN



Statua marmorea Laocoontis filiorumque eius, qui ab anguibus petuntur, ab Hagesandro et Polydoro et Athenodoro, artificibus Rhoditis, circiter anno 50 a. Chr. n. sculpta atque hodie in Museo Vaticano conservata, anno p. Chr. n. 1506 Romae in ruinis Domus Aureae Neronis reperta est, dextro tamen bracchio Laocoontis carens. Huic primo substitutum est id, quod in pictura sinistra ad caelum porrigitur, bracchium. Nostro demum saeculo inventum et suo loco repositum est genuinum bracchium, quo redunco, ut e pictura dextra apparet, Laocoon multo efficacius angues repellere videtur.

Versibus infra positis (Aen. II 199-234) Vergilius Aeneam Carthagine de sorte Laocoontis narrantem facit. Veri simile est poetam hos versus scribentem (annis a. Chr. n. 30-19) illam sculpturam non modo non imitatum esse, sed ne vidisse quidem.

Hic aliud maius miseris multoque tremendum
obicitur magis atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(horresco referens) immensis orbibus angues
incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt;
pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
sanguineae superant undas, pars cetera pontum
pone legit sinuatque immensa volumine terga.

Fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant
ardentisque oculos suffecti sanguine et igni
sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Diffugimus viso exsanguis. Illi agmine certo
Laocoonta petunt. Et primum parva duorum
corpora natorum serpens amplexus uterque
implicat et miseros morsu depascitur artus;
post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem

corripiunt spirisque ligant ingentibus, et iam
bis medium amplexi, bis collo squamea circum
terga dati superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos
perfusus sanie vittas atroque veneno;
clamores simul horrendos ad sidera tollit,
qualis mugitus, fugit cum saucius aram
taurus et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
effugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem
sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novos per pectora cunctis
insinuat pavor, et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae
numina conclamant.

Dividimus muros et moenia pandimus urbis. ■


"MYRICA" PASCOLIANA

CUM DUABUS INTERPRETATIONIBUS LATINIS

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

ORFANO

*Lenta la neve fiocca, fiocca, fiocca.
Senti: una zana dondola pian piano.
Un bimbo piange, il piccol dito in bocca;
canta una vecchia, il mento sulla mano.
La vecchia canta: Intorno al tuo lettino
c'è rose e gigli, tutto un bel giardino.
Nel bel giardino il bimbo s'addormenta.
La neve fiocca lenta, lenta, lenta.*



Hoc carmen Italicum excerptum ex opere Iohannis Pascoli, quod inscribitur "Myricae", a Maria Pascoli, sorore poetae, ita Latine redditum est:

PUPILLUS

*Decidit assidue lentissima nocte silenti
nix: audi, lenis sub tecto cista movetur.
Parvulus infelix luget digitumque labellis
sugit: anus cantat... sustentat dextera mentum...
«Multa rosa est - cantillat anus - sunt lilia multa:
non procul a lecto viridis, puer, hortus odorat».
Ecce puer viridi sensim obdormiscit in horto:
lenta cadit tenebris intentis assidue nix.*

Si carmen genuinum cum hac interpretatione Latina contulerimus, negare vix poterimus in illo plus quam in hac inesse lyricae subtilitatis. Non assentior cuidam commentatori credenti linguam Latinam fortasse elegantiore esse, quam qua tam subtile carmen scribatur; potius dixerim versus hexametros a sorore poetae adhibitos hoc loco parum aptos esse. Qui cum longiores sint hendecasyllabis Pascolianis, interpreti eundem numerum versuum servare studenti necesse est carmen Italicum ampliare et nonnulla addere, quae in eo non sunt, e.g. *nocte silenti* in primo versu et *tenebris intentis* in ultimo. Accedit huc, quod versibus hexametris rarius «humiles myricae» (cf. Vergilius, Ecl. 4, 2) describuntur quam «res gestae regumque ducumque et tristia bella» (Horatius, Ars poetica 73). Id Iohannes Pascoli ipse videtur plane intellexisse; namque in uno e Poematis Christianis Thallusam filiolos dominae suae

curantem describens cetera versibus hexametris narrat, in sopiendo autem puerulo queribundo occupatam servam Saturniis versibus canentem facit (161-184):

*Tum sonat ex animo qua iam sedare suum, qua
abreptum puerum suerit sopire querela.
Idem vagitus, puer idem, mater eodem
naviculam pellens solatur carmine nautam*

*Ocelle mi, quid est quod vis apertus esse?
Nihil potes videre, namque tam cubat sol,
nec aureum grabatum luna pigra linoquit.
Genis tuis tegaris: plusculum videbis.
Lalla! Lalla! Lalla!*

*Ocelle mi, quid est quod usque me tueris?
Dolesne quod dolentem cernis, inque, mammam?
Sum servuli quidem vix mater, ipsa serva.
Genis tuis tegaris: liberam videbis.
Lalla! Lalla! Lalla!*

*Ocelle, qui tueris usquequaque lugens
velut foras ituram perditae procul me...
noli tuam perisse tunc putare matrem:
genas tuas remitte, semper et videbis.
Lalla! Lalla! Lalla!*

*Flet Thallusa canens, aequememor, immemor aequae.
Ecce puer leni pacatus momine cymbae
et dulci cantu, tam cessat flere nec idem
singultit: tranquillius hiat patulisque canentem
sub tremula lychni flamma miratur ocellis...*

Si igitur versibus hexametris infantem, ut

obdormiscat, adducere velimus, saltem extrema necesse est eos lenitate recitemus; aliter periculum est, ne ille miser somnum omnino non capiat ac per totam noctem magna voce ululet.

Equidem, ne «myrica» Pascoliana Latine reddita nimio colore epico laboraret, versibus Phalaeceis hendecasyllabis usus novam composui interpretationem, cuius primam adumbrationem Feriis Latinis Nicensibus 22.8.1992 recitavi. Omissis quidem rimis Pascolianis ceteroquin ante omnia lyrico colori genuini carminis servando operam impendi. Eam mihi licentiam poeticam permisi, ut Italicum *il piccol dito in pollicem tenerum* mutarem.

Postea una e participibus Feriarum me propius quidem ad spiritum carminis Italici quam sororem poetae accessisse dicens tamen iure commonefecit rei, quam ipse prius non animadverteram: versibus

genuinis Pascolianis mollem subtilitatem inter alia id dare, quod unusquisque eorum verbo in vocalem exeunte concluderetur, meam autem eodem quo Mariae interpretationem vitio urgeri, quod nonnulli versus eius in consonantes duras *x* et *t* exirent. Itaque eam lectoribus Melissae nunc paululum retractatam praebeo:

Orbus

Lenta nix cadit usque, ninguit usque.

Cunas leniter audias moveri.

Plorat parvulus atque sugit ore

pollicem tenerum, manumque nisa

mentum anus puero canit quieta:

«Circa lilia sunt rosaeque lectum.»

Parvus in viridi quiescit horto.

Usque nix cadit, usque lenta, lenta. ■

IN MEMORIAM

AMICI NOSTRI IOHANNIS MARIAE WELLEN

Qui, cum nomen dedisset ad seminarium Belgicum participandum, ineunte mense Augusto nuntiavit se cordis infarctum passum esse, eoque impediri, ne in numero participum esset; se valde dolere quod hoc anno suos internationales amicos videre non poterat. Tum temporis nesciebamus nos eum iam non revisuros esse. Iohannes Maria Wellen Germanus erat sodalis affabilis peritusque organista, qui seminaria concentibus musicis pulchre ornare solebat. Sit ei terra levis.

LIBER LAUREATUS

QUEM CONSCRIPSIT GENOVEFA IMMÈ

Anno praeterito lectoribus nostris inter novos libros proposuimus carmina Latina et Francogallica a Genovefa Immè conscripta (*Amatoria periegesis. Voyage d'amour*, Mazet St Voy, ed. Tarmeye, 1991; cfr Melissa 43). Modo audivimus Academiam Francogallicam pro hoc libro auctrici tribuisse Praemium Theophili Gautier, quod dicitur (argenteum numisma). Poetriae toto pectore gratulamur.

IN DOMO LATINA

BRUXELLENSI

(64 av. Albert-Elisabeth, 1200 Bruxellis)

omni Mercurii die hora 19, vivo modo exercetur lingua Latina (usus cottidianus, grammatica, litterae et antiquae et recentiores).

DE VERA PRONUNTIATIONE LATINA

SCRIPSIT ALANUS DIVUTIUS

Multae res mirae legi possunt in variis libris et actis diurnis hodiernis et quamvis sint homines his in rebus saepissime incredulos tamen mysterio quodam allecti talibus scriptis delectantur.

Vos igitur, qui certius aliquid de recta Latinae linguae pronuntiatione antiqua scire verisimiliter cupitis, delectare volo vobis enarrans quod legi in libro Francogallice scripto qui inscribitur *le Livre du Passé Mystérieux* a Roberto CHARROUX conscripto (Editions J'ai Lu, 31, rue de Tournon, 75006 Parisiis, anno 1983).

Hic auctor nobis id narrat: (p.257 ad 261) Quidam monachus Benedictinus, qui vocatur Pellegrinus ERNETTI, vir praesertim peritus in historia musices praepolyphonicae, professor in Conservatorio a Benedetto Marcello appellato in urbe Venetiarum atque sodalis Operis Fundati

Cini, machinam instrumentumve invenit et fabricavit quo potest audire verba videreque imagines temporum praeteritorum. Id instrumentum, ut ait, est quasi instrumentum televisificum quo potest recuperare sonos et imagines emissos ante multa saecula, nil enim perit in universo.

Nunc ecce quod attinet ad linguam Latinam.

Pater enim Pellegrinus ERNETTI asseverat se hoc instrumento audivisse verum pronuntiatum linguarum antiquarum et totam tragoediam deperditam Quinti ENNII, quae inscribatur *Thyestes*, vidisse et auscultasse et transcripsisse in totum.

De illo monacho nihil plus ipse scio, fortasse lectores nostri Itali plus de hac re mira nobis narrare poterunt.

Liceat nobis tamen sceptici manere. ■

LATINITAS INEXSPECTATA

Verus Latinista, quocumque ambulat, Latinas inscriptiones scrutari solet. Nec frustra: locis enim inexpectatis non raro accidit ut margarita inveniatur. Subiunctus textus est parieti affixus in

androne cuiusdam deversorii siti iuxta ripam Mosellae Luxemburgensis. Sollemnitatis, de qua hic agitur, cauponibus visa est digna quae Latine celebraretur.

ANNO DOMINI MCMLXVI

Tricentenario Patriae Patronae sacro, in festo S. Iosephi, 19 Martii, Anno secundo regni Magni Ducis Joannis et Serenissimae Consortis Iosephae-Carolae.

Alfrido Loesch, Aulae Praeposito, SubDictae praesidio Victoris Bodson, Gubernantibus Petro Werner, Ministro Status, cum administris Henrico Cravatte, rebus internis, Aemilio Colling, viticulturae, Antonio Krier, rei operariae, Petro Gregoire, Cultui, Alberto Bousser, aedificationi, Marcello Fischbach, rei militari, Antonio Wehenkel, rei familiari, praepositis, quibus adnumerantur Joannes B  chler et Raymundus Vouel a secretis Satus: Sub Alvisio Duhr, Municipii Wormeldingen praetore, Mauritio Senninger, Scabino, et Iosepho Thewes, Consultore, utroque ex Ehnen. Sub auctoritate ecclesiastica Excellentissimi

Domini Leonis Lommel, Episcopi Luxemburgensis, et Renate Meyer, vigilantis pastoris, Ehnen.

Praesentes litterae datae sunt a Joanne Schammo, diversorii Simmer domino, nato annos sexaginta, viduo Mariae Mergen, patre Alenae, uxoris Arseni Millim, tribuni militum qui pater exstat Joannis Millim-Schammo: in nova molitione ampliati diversorii et vini Mosellani caupona praecipua, hodie citatae litterae, amicis adstantibus, foundationis sunt inclusae, iunctis numismatibus, bienni quo Mosella navigiis majoribus ferendis apta facta est. Res ita se habere testantur:

Ehnen, die 19 Martii 1966

Arthurus Thill, Luxemburgensis, Architecta, Aemilius et Victor Waldbillig, ex Wormeldingen, Aedificatores.